

33

I. N. J. C.
DISSERTATIO ACADEMICA;
EXPOSITURA

VITAM & MERITA
ILLUSTRISSIMI HEROIS &c. &c.

D^{:NI.}. THORSTANI
STAHLHANDSKE,

QUAM

Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,
PRÆSIDE

M^{AG.}. JOHANNE
BILMARK,

HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Publico examini modeste subjicit

NICODEMUS BERGSTEDT,

Westrobotniensis.

In AUDITORIO MAJORI Die VII Decembr.
An. MDCCCLXXIV.

H. A. M. C.

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

S:Æ. R:Æ. M: TIS.

MAGNÆ. FIDEI. VIRO.
NOBILISSIMO. DOMINO.

D_N. C A R O L O.
K R O O K.

JUDICI. PROVINCIALI. Gravissimo.

PATRONO. MAXIMO.

Sertis. Hisce. Quæ. In. Campis. Musarum. Tiro. Collegit.
Ut. Conciliaret. Splendorem.
Atque. Symbolum. Mentis. Gratæ. Sisteret.
Eadem. Nobilissimo. Nomini. TUO. Inscripta.
TIBIque. Esse. Dicata. Voluit. Ac. Debuit.

NOMINIS. TUI. NOBILISSIMI.

Cliens. devotissimus
NICODEMUS BERGSTEDT.

SÆ RÆ M:TIS
SPECTATÆ FIDEI VIRO,
NOBILISSIMO DOMINO,
M. MAURITIO
STÅHLHANDSKE,
JUDICI TERRITORIALI Meritissimo,

FAUTORI OPTIMO.

Ut ad TE, VIR NOBILISSIME, aditum moliar,
NOMEN TUUM Nobilissimum huic schedulae præ-
fixurus, svadet opusculi argumentum, vitam Excellentissimi
Imperatoris atque Herois THORSTANI STÅHL-
HANDSKE exponentis. Hoc itaque ut benigne excipias,
meliorique de nota TIBI me commendatum habeas, oro ro-
goque, permansurus

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

Cultor humillimus
NICODEMUS BERGSTEDT.

PRÆFATIO.

Mirari saepe soleo, qui fiat, ut, cum Heroës alii que præstantes viri, ingentibus meritis patriam suam, etiam cum dispendio virium ac vitæ, si bi devincire studeant, non raro tamen contingat, ut virtutum gloria una cum ipsis quasi emoriatur. Inducit autem hanc oblivionem partim nimia ipsorum Heroum modestia, quippe qui nihil saepe ægrius quam sua prædicari facta ferunt, laudes sibi tributas, non meritorum argumenta, sed exspectata officia indicare judicantes, partim aliorum æqualium vel invidia vel oscitantia, quin & intempestivus metus æmulos adhuc superstites offendendi; quibus fit, ut obliterari sensim sinant nomen per se dignissimum, quod æternitatis fastis inscribatur. Quamobrem in vita humana saepe accidit, ut magnorum virorum meritis alterum perfruatur sæculum, & alterum eadem celebret. Habent igitur aliquid simile occidenti soli, quem toto die nubibus obscuratum, circa vesperam aliquando vel statim post occasum plena luce erumpentem videmus. Clarorum enim virorum egregia facta, utcunque eis adhuc superstibis vel reticeantur vel obfuscantur, venientes tamen posteri, ipso tempore audacieores facti, vanasque præstigias non curantes, eadem pristino suo nitori restituent. Sic celata emergit virtus, & majori jubare sele conspiciendam præbet. Gratam igitur in se suscipiunt operam, qui Heroum pridem de mortuorum facta & memoriam, quantum per monimentorum inopiam fieri potest, recolunt & venturæ Posteri-

steritati commendant. Hac mente etiam ego, exigua licet Societatis Academicæ Aboënsis portio, æquum iudicavi, fatiscentem ferme Illustrissimi Nominis THORSTANI STÅHLHANDSKE memoriam modo, non quem ipse affatim meruit, sed quo ipse potui, renovare, ut post sesquisæculum fere constet, quam grandibus meritis Patriam, & quam eximia liberalitate Academiam Auroraicam sibi reddiderit obstrictas. Didici quidem ex actis Consistorii Academicæ, quod primus ad hanc Musarum sedem, Eloquentiæ Professor D:rus JOHANNES ELAI TERSERUS ex mandato Senatus Academicæ in se suscep-
rit merita tanti Herois ac propensi Benefactoris solemni panegyri celebranda, an vero huic unquam satisficerit officio valde ambigimus, saltem nullum hujus industriae documentum ad nos pervenit. Intermissum igitur hoc pietatis officium ego nunc exsequar, felicem me omnino prædicaturus, si post tantam temporis intercedinem ac tantas rerum in Patria nostra vicissitudines, aliquid in medium proferre valeam, quod Benevoli Lectoris atten-
tione non prorsus indignum censeatur.

§. I.

Licet virtus ipsa sit proprium hominis bonum, Majorumque egregia facta ad adventitium generis splendorem pertineant, nemo tamen facile negabit, quin nobilitas a patribus magno atque ancipiti labore parta ingenuis Posteris maximum sit incitamentum, per arduam virtutis semitam ad honoris culmen alacriter enitendi. Ita quidem censuit, dum vixit, Nobilissimus THORSTANUS STÅHLHANDSKE; quare Avi & Patris insignia magni faciens, ipsis tamen non acquievit, sed suis rebus gestis inclarescere magnopere ipse studuit. Non tamen silentio sunt prætereundi, qui THORSTANO

nostro ex sua Familia facem prætulerunt. Primus igitur Nobilissimæ STÅHLHANDSKIANÆ prolapse anchora fuit SVENO ANDREÆ de Söderbo (*a*) in WestroGothia, qui in ordinem Nobilium adscitus, nomen STÅHLHANDSKE assumpsit, quod, ceu perhibet Nob. STJERNMANNUS (*b*) factum est An. 1565 die 14 Junii. Attamen invenio, quod SVENO hic An. 1560 Comitiis Holmensibus interfuerit, & decreto Comitali inter cæteros Regni Nobiles, die 13 Junii subscripsit (*c*); unde colligere licet, quod jam ante hæc comitia in ordinem Nobilium fuerit cooptatus. Insigni autem ejus gentilitium fuit in campo rubro Lancea (*glafven*) nigra, ad cuius imam partem conspiciebatur Chirotheca chalybea, supra scutum autem eminebant duo rubra cornua cum albis fasciis, atque inter memorata cornua sese iterum conspi ciendam præbuit Lancea nigra cum Chirotheca chalybea alba (*d*). Hic Heros inde a teneris castra secessus fuit, & alia aliaque gessit munera, sed quæ eadem fuerint, annales ejus temporis reticent; præterquam quod doceant, ipsum Anno 1573 die 16 Novembr. factum fuisse Præfectum Castelli Gullbergensis in WestroGothia. Duxit ipse in matrimonium BRIGIT'TAM Benedicti Filiam SVENSKE, ex qua duos, quantum quidem constat, liberos suscepit, Filium THORSTANUM STÅHLHANDSKE & Filiam STÅHLHANDSKE, quam thalami sociam obtinuit HAQUINUS LAURENTII DUFFA ex Westro-Gothia, qui An. 1594 die 2 Maji Nobilium ordini fuit adscriptus. A mascula Patris virtute natum quidem unguem deflexit filius THORSTANUS in prædio Söderbo WestroGothiæ natus & educatus, quem, ubi firmior sinit ætas, bene merendi studium extra patrios lares in Finlandiam vocavit. Comitabatur autem ad has oras cohortes Svecanas, quæ crebras Rosorum in Finlandiam irruptiones, adjuvantibus civibus, reperi-

reprimenterent. In ambigua autem hac Martis palæstra ad eo fortiter & præclare fese gesit, ut Nobilissimus D:us LUDOVICUS BARTHOLOMÆI de Hummelsund in Nylandia non solum ipsum hospitio exciperet, sed ipsi etiam Filiam CA'THARINAM in matrimonium concederet. Atque his parentibus An. 1594. natus est THORSTANUS STÅHLHANDSKE, cuius vitam & facta pagellis his breviter enarrare constituimus.

(a) Inter Historicos Patriæ non satis convenit, ubi nam prædium *Söderbo* situm fuerit. Sunt enim nonnulli, qui opinantur, quod *Söderbo* sit *Söderby*, quod contracte dici potuit *Sörby*; atque cum hujus nominis sit Ecclesia, parœciae Gjökhemensi in WestroGothia annexa, sine ulteriore indagine oppido colligunt, quod in isthoc pago quærendum sit prædium Gentilitum Familiae STÅHLHANDSKIANÆ. Enimvero qui ista consideraverit turbulenta tempora, merito dubitat, an Familia hæc tantas tunc posse derit opes; quare potius existimamus, prædium quoddam vi nominis heic indigitari, licet nomen ejus isto temporum intervallo sit adeo mutatum, ut accolæ illud non amplius agnoscant. Et ne vanam conjecturam curiosos Lectori obtrudere videamus, simpliciter indicamus, prædium, quod hodie nuncupatur *Mariædabl*, non confundendum cum sede Gubernatoris Provincie *Mariæholm*, uti fecit Nob STJERNMANNUS in *Matric. Nobil. Svecan.* p. 295. Num. 183, olim nuncupatum tristis *Söderbo* & ad antiquam familiam STÅHLHANDSKIANAM pertinuisse. Est autem hoc situm in WestroGothiæ parœciae *Husaby* annexa *Ova*, cui e regione oppositum est *Norrbo* seu *Nolebo*, sedes Judicis ejusdem territorii. Retinuit autem prædium illud nomen *Söderbo*, usque dum in possessionem Illustrissimæ Familiae DE LA GARDIANÆ pervenit; tunc enim aucto eodem & quoad magni-

magnificentiam ædificiorum & hortorum amplitudinem ac venustatem, Excellentissimus Regni Senator &c. Dn. Comes MAGNUS GABRIEL DE LA GARDIE illud ex nomine Conjugis suæ, Principis MARIAE EUPROSYNES, *Mariæ abl* nuncupavit; ejusque neptis Illustrissima Comitissa EVA DE LA GARDIE, vidua Celsissimi Regni Senatoris & Academiae Aboensis nuper Cancellariae b. m. Dn. Comitis CLAUDII EKEBLAD illud nunc possidet. (b) Vid. *Libr. Ejus modo nominat.* p. 252 N:o 98. (c) Vid. *Tegels Histor. Regis GUSTAVI I Tom. II.* p. 377 *ab initio.* (d) Vid. Nob. STJERNMAN. *Libr. & loc. cit.*

§. II.

Incidit igitur ætas THORSTANI STÅHLHANDSKE in illa tempora, quibus tota ferme Europa bellis seruebat. Nobili genere orti, quibus in distribuendis corporis & animæ dotibus, faverat Natura, Martis palæstram, uti viam compendiariam ad honores & opes perveniendi, ingrediebantur. Quamobrem, quem Parentes THORSTANI, inde ab ipsis Ejus incunabulis, in Filio suo animadverterent singularem ardorem armis inclarescendi, forti hujus & natalibus suis digno proposito nullas injecerunt remoras; quin potius mature satis illum commendarunt Chiliarchæ & postmodum Legato Exercitus Svethici (General-Lieutenant) PATRICIO REDVIN, cuius primum cubicularis fuit, sub quo per aliquot annos stipendia meruit, atque ipsum comitabatur in Angliam & Scotiam, ubi ex mandato Regis gl. m. GUSTAVI ADOLPHI conduceret Legionem ex militibus Scoticis, qui tunc temporis fortissimi habebantur, compositam.

Reducem in patriam factum STÅHLHANDSKIUM, postquam suam probaverat solertiam tam in bello Mo-

schovi-

schovitico, quam alibi, Rex gl. m. GUSTAVUS ADOLPHUS cohorti Praetorianæ (Lif.-Compagniet), quæ tunc temporis in Livonia contra Polonos magnas res fortiter gerebat, una cum equitibus, quos secum duxerat, adjunxit; sed cum isthac cohors An. 1620 fuisset demissa, STÅHLHANDSKIUS spartam quidem, sed inferioris adhuc gradus in Legione Praetoriana (Lif.-Guardiet) obtinuit, in qua per duos annos stipendia meruit.

Ita duro admodum adolescentiæ initio usum, fortuna tandem respicere cœpit impigrum hunc Bellonæ alumnū; siquidem An. 1622, quum Rex GUSTAVUS ADOLPHUS copias suas in Livoniā traduxit, in legione illa, quam duxit fortissimus Chiliarcha Dn. COBRON, primum Signiferi, brevi post Sub-Centurionis & anno sequenti Centurionis munus obtinuerit. An. 1626, dum Rex copias in Borussiam deduxerat, provinciam Majoris, uti dicitur, illius Legionis pedestris, quam duxit Chiliarcha ARVIDUS HORN, Dnus de Wuorentaka, obtinuit; quam tamen, anno insequenti, cum pari dignationis munere in Legione Equestri Chiliarchæ ACHATII TOTT commutavit, paulo post Sub-Tribunus ejusdem Legionis factus.

Sed STÅHLHANDSKIUS, qui in parvis fuit magnus, in magnis maximus emicuit. Postquam enim Rex GUSTAVUS ADOLPHUS decreverat afflictæ & ad incitas ferme redactæ Germaniæ succurrere, ideoque exercitus hoc traduxerat, STÅHLHANDSKIUS magnas res haud magnis copiis, quibus in casibus magis Ducis prudentia quam militis robur cernitur, feliciter gessit, nunquam sui copiam hostibus faciens, nisi victoriā reportaret. Præcipue autem in duobus gravissimis præliis, altero ad Lipsiam, altero ad Lekam Regi suam & fortitudi-

tudinem & prudentiam probavit; quamobrem etiam a Rego Optimo constitutus fuit Tribunus Legionis cuiusdam Fennicæ, quod factum est in castris ad Norimbergam An. 1632. Illustrissimum autem est ejus factum, quum eodem anno die 6 Novembr. prælium ad Lutetiam in Militia committebatur; nam non solum omnes muneris sui partes sub Regis auspiciis implevit, verum etiam quum Rex ipse indigna morte occubuisset, omniaque in exercitu Svecano ad ruinam vergere videbantur, STÅHLHANDSKIUS noster is fuit, qui dextrum cornu loco Regis duxit, afflictas Svecorum res restituit, fervidam & ancipitem pugnam, Gothis Fennisque stipatus continuavit, hostes dudum triumphantes fulminis instar prostravit, eos fugientes in Bohemiam usque persecutus, tandemque eos, qui ex fuga in Arcem Kemnitz se se conjecerant, ad plenam deditio[n]em compulit, adeo ut non occidisse Rex, sed quasi dolabris hostilem aciem perfregisse Thorstani visus sit. Curt. IX: 5, 17. His peractis, STÅHLHANDSKIUS in mandatis accepit, ut copias suas in Westphaliā deduceret, easque cum legionibus Ducis Luneburgensis GEORGII conjungeret, munitasque urbes & propugnacula deinceps expugnaret. Post hæc quum hostes rursus sub Ducibus suis GRÖNS, FELDIO & MERODO se congregarent, ut urbi Hamelæ, tunc a Svecis obfessæ, succurrent, non alia supererat ratio, quam fortunam prælia aleæ committere, quod etiam eo successu ad Allendorphium est factum, ut Imperatoris exercitus disiecti fuerint, postquam 7000 milites una cum præstantissimis Ducibus in acie occubuisserint. Mox quoque civitas Hamelensis exspectato auxilio destituta, se victori dedit. His feliciter gestis, Stahlhandskio fuit mandatum, ut victricia signa in Belgium transferret, atque Batavis, de salute sua admodum periclitantibus, opitularetur contra totius Monarchiæ Hispani-

spanicæ, eis incumbentis, impetum; quo anticipiti in negotio fese, uti in cæteris, egregium præstítit, nec minorab illis, quibus in subſidium missus erat, quam a suis, qui eum miserant, reportavit gratiam.

Anno 1634 ex Superiorum mandato STÄHLHANDSKIUS fese contulit ad exercitus Svecani Campi-Mareschallum Illustr. JOHANNEM BANEER, qui copias in Silesia contraxerat, qua occasione munus Generalis Majoris, uti dicitur, obtinuit. Heic autem diu commorari ipſi non licuit; quum enim induciæ sex annorum, cum Polonis pactæ, ad finem vergerent, Regina Svetiæ CHRISTINA Stählhandskium cum parte exercitus Svecani in Livoniam ablegavit. Sed quum induciarum tempus, Mediatoribus Regibus Galliæ & Magna Britanniæ, effet prolongatum, in Germaniam rursus fese abdidit, ubi Anno 1636, in gravissimo ad Wistochium prælio sinistrum cornu duxit, suaque constantia, fortitudine & prudentia tantum effecit, ut hostes post pertinacem resistentiam in fugam fese conjicerent; quibus ita debellatis, quum tempestas hostilis ab isthac parte desisset, captis opimis prælii spoliis Fortissimum Banerium in Mifniam comitabatur, ut hinc quoque hostes depelleret.

An. 1639 summa exercitus Svecani, qui in Silesia versabatur, STÄHLHANDSKIO fuit delata; quo in munere non solum hostes, quoties comparuerint, protinus disjecit, sed plures etiam urbes expugnavit, resque per triennium fere, quo heic commorabatur, ita ordinavit, ut optimo in loco eadem fuerint. Plures tamen adhuc munitas urbes in Ducatu Silesensi possidebant hostes. Quamobrem, quum Campi-Mareschallus exercitus Svecani LEONHARDUS THORSTENSONIUS ad has regiones, in quibus præcipuum erat exercitus Imperatoris ro-

bur, sese An. 1642 contulisset, Stahlhandskius mox cohortes suas cum illius exercitu coniunxit; quo facto, Glogaviam Majorem arctissima obsidione aliquantis per cinctam unitis viribus expugnarunt. Posthac Generalis copiarum equestrium & Tribunus duarum Legionum, Equestris simul & Pedestris factus Stahlhandskius; maximi omnino estimata fuit ejus opera tam in prælio, quod THORSTENSONIUS cum exercitu Imperatoris, sub auspiciis hujus Campi-Mareschalli, Ducis FRANCISCI ALBERTI commisit, in quo Aquilæ Cæsaris disjectæ fuerunt, & Dux ipse captivus abductus, quam in altero ad Lipsiam prælio, die 23 Octobr. 1642 habito, ubi integer Imperatoris exercitus, sub ejusdem Ducibus, videlicet Archiduce LEOPOLDO & Comite OCTAVIO PICCOLOMINEO penitus fuit debellatus. Et quamvis gravissimum vulnus in dextra manu circa initium pugnae accepisset Stahlhandskius, eadem tamen constantia & animi alacritate singula sua exsequebatur munia, sui plane oblitus, donec victoriam reportassent Sveci. Posthac Sterinum sese contulit, ut opem Medicorum in minuendo vulneris dolore impetraret. Heic autem factum est, ut, qui contra Martis tela invictus persistiterat, Veneris mandata capeffiverit, atque Anno 1643 die 9 Aprilis in matrimonium duxerit Virginem, & venustate & natalium splendore Illustrissimam, CHRISTINAM HORN, Generalis ARVIDI HORN, Dni de Hapaniemi &c. filiam. Enimvero nec hujus Conjugis illecebræ, quamvis ipsam deperiret, eum detinere potuerunt, sed quum Dani Svecis progressus suos per Germaniam invididerent, atque vires nostras frangere conarentur, nostrique proinde cogerentur vim vi repellere; opinione citius advolavit STÄHLHANDSKIUS, in Holstiam & Jutiam sub auspicio THORSTENSONII irruptionem fecit, & cohortes Danicas, quæ circa Coldingam congregatae erant, prostravit, disjecit, occupata fere tota Jutia. Enim-

Enimvero sicut in rebus humanis nihil durabile est & diuturnum, ita quoque quia aliquantis per solummodo in honoris & gloriae Theatro comparuissest Ståhlhandskius noster, ibique omnium oculos & animos in se convertissest, præliorum laboribus & acceptis vulneribus non tam vietus quam exhaustus, Haderslebia An. 1644 die 21 Aprilis morti victas dedit manus, generosam animam DEO commendans, postquam 50 Annos in sui honorem & patriæ suæ ingens commodum vixisset, nullos ex se relinquens liberos. Funus autem Ejus Conjux tenerrima, Vidua Illustrissima, in Finlandiam transferendum, atque magnifico Mausoleo, a se in ejus honorem in Templo Cathedrali Aboensi exstructo, magna exequiarum pompa, die 3 Augusti Anno 1645 inferendum curavit.

De cætero observamus, quod Generalis THORSTANI STÅHLHANDSKE effigies coloribus ex ipso ~~magno~~ eleganter depicta, una cum cæterorum Heroum, quorum in bello tricennali Germanico maximi æstimata fuit opera, reperiatur in arce Leckoa. Vid. Diss. Luth. de Leckoa p. 30. ubi vero Stahlhandskius male appellatur JOHANNES. Emblema est incurvum e nubibus brachium, fractum tenens gladium cum Symbolo: *Tolle moras.* An ex hac Familia Stahlhandskiana ortus sit Generalis MUHL, sicut ipse contendit, nondum indagare potuimus. Præcipua momenta quæ ad illustrandam Biographiam Generalis STÅHLHANDSKE pertinent, excerptimus partim ex Concione funebri, quam habuit Æschillus PETRÆUS impresa Aboæ 1646 partim ex Hist. Regis GUSTAVI ADOLPHI per Mr. Mauillon, & ex Histor. GUST. ADOLPH. quam edidit HARDT.

Postquam STÅHLHANDSIUS Jutiam ex mandato Reginæ CHRISTINÆ invaserat, eandemque occupave-

rat, inter alia, quæ inde reportavit spolia, fuit instru-
 ctissima quædam, pro illius temporis ratione, Bibliotheca,
 quam possedit Episcopus Arhafiensis MARTINUS MAT-
 THIÆ. Forte illam auxit Ståhlhandskius libris, quos
 sub expeditionibus Germanicis vel emit vel jure belli
 acquisivit. Hac librorum supellestili Academiam Abo-
 ensem, circa sui initium cum variis difficultatibus, in-
 primis cum angusta nimis domi re collectantem, exor-
 nare decrevit; quod ejus legatum An. 1644 factum, An.
 1646 in Aprili exsecutioni dedit Vidua superstes, Gene-
 rofissima Domina CHRISTINA HORN, Hæreditaria in
 Hapaniemi, Domina in Hummelsund & Rønogård. Quod
 ad ipsam donationem attinet, perhibet quidem Nobiliss.
 MICHAEL WEXIONIUS GYLLENSTOLPE, quod hujus
 Musagetæ liberalitate in Academiam nostram illati sunt
 942 libri optimorum Auctorum, ex quibus 400 in folio
 scitissime essent compacti. Vid. *Natales Academæ Abo-
 ensis.* Enimvero quum nobis non constet, qua ratione
 nominatus Auctor suos subduxerit calculos, nec compu-
 tationis summam assequi possumus. Si enim diversa va-
 riorum Auctorum scripta intelligentur, numerus hic est
 justo minor; Sin volumina, est vero aliquantum major.
 Instituto enim calculo ad tenorem Elenchi Bibliothecæ
 Academæ Aboensis, qui Anno 1655 in lucem prodiit,
 volumina a fortissimo Heroe Ståhlhandske donata sunt
 882 & ex illis 263 tantum in folio excusa. A Senatu
 Academico decretum quidem fuit, ut Eloquentiae Pro-
 fessor JOHANNES ELAI TERSERUS in donationis hujus
 memoriam orationem Panegyricam haberet; quam tamen
 non confecit. Postmodum Eloquentiae ad hanc Acade-
 miam Professor DANIEL ACHRELIUS orationem die 29 Ju-
 nii 1672 habuit, quæ elogium Illustrissimæ Heroinæ
 CHRISTINÆ HORN complectitur, sed ex qua, si ve-
 ra fateri liceat, pauca admodum, quæ fata memoratæ
 Bene-

Benefactricis, nihil fere, quod ad indolem Bibliotheca
donatae pertinet, discimus.

§. IV.

Duplex datur Familia STÅHLHANDSKIANA, altera ex WestroGothia, altera ex Finlandia oriunda. Ex actis constat publicis, quod THORSTANUS STÅHLHANDSKE dubiam cæteris STÅHLHANDSKIS ex Finlandia ortis reddere sategerit eorum Nobilitatem, & sibi suæque Familiæ soli sedem & votum in Palatio Ordinis Equestris adserere voluerit; hanc autem controversiam, qualiscunque eadem ab initio fuerit, successu temporis vanam fuisse factam, noto est notius. Et quoniam recentiori ævo mota fuit controversia de possessione monumenti sepulcralis STÅHLHANDSKIANI, rectius omnino a fundatrice HORNIANI dicti; juvat tum utriusque Familiæ Genealogiam, quantum per monumentorum inopians fieri potest, heic annexere, tum etjam utriusque relationem paucis ostendere.

Genealogia Familiæ STÅHLHANDSKIANÆ e W. Gothia:

SVENO ANDRÆ STÅHLHANDSKE, Dn. de Söderbo.
Conj. BRIGITTA BENEDICTI SVÅNSKE.

THORSTANUS STÅHLHANDSKE. - - - - -
Conj. CATHARINA LUDOVICI BARTHOLOMEI Filia in
Hummelund.

THORSTANUS STÅHLHANDSKE natus 1594, denatus d. 21
April. 1644. Generalis &c.
Conj. CHRISTINA HORN, Filia
AVVIDI HORN de Wuorenata.

Gene-

Genealogia Familiae STÅHLHANDSKIANÆ ex Finlandia:

TYRILL seu BYRILL SLUKER, Centurio.

Conj. ANNA MATTHIE RUTH.

JON STÅHLHANDSKE, Dn. de Sjöläx & Trotteby, Nobil.
die 8 Julii 1574. Regis ERICI XIV Cubicular. & dein
Præfector arcis Wiburgensis. Conj. BRIGITTA RÅF, Fi-
lia ERICI AND. RÅF in Sjöläx & ANNÆ FINKE in Por-
kala & Sonnås.

HANS STÅHLHANDSKE de Sjöläx & Gesterby, Præfector
Ditionis Kexholmensis. Conj. HELENA WILLMAN, D:na
in Attu, Poiby & Perno, Filia Ammiralis HENRICI
WILLMAN & CATHARINÆ STÅHLARM.

JOHANNES STÅHLHANDSKE de Attu, Gesterby & Perno,
Assessor Reg. Dicast. Finland. & Judex territorii Hat-
tulensis &c. Conj. MARGARETHA FLEMMING, Filia L. B.
HENRICI FLEMMING & EBBÆ BÅTH.

HENRICUS STÅHLHANDSKE,	HANS STÅHLHANDSKE.
Assessor.	Banco Commiſſar.

LAUR. STÅHLH.	HENR. JOH. STÅHLH.	MAUR. STÅHLH.
Centurio.	Sub-Centurio.	Judex territor.

Observ. 1. Quod JOHANNES STÅHLHANDSKE habuerit
quoque Filiam MARGARETHAM, natam die 12 Decembr.
1656, quæ innupta deceſſit die 7 Januar. 1672.

2. Quod HANS STÅHLHANDSKE binas suscepereſit Filias
1:o HELENAM MARGARETHAM nuptam Sub-Tribuno GRÜ-
NER, & 2:o MARIAM CHRISTINAM nuptam Pastori & Præ-
posito in Thorstuna MICHAELI SOLLENIO.

HEN-

HENRICUS CLAUDII HORN in Kankas, Senator Regni, Gubernator Finlandiae &c. Conj. ELIN ARVIDI^{TA}
Filia STÅHLARM, de Hapaniemi & Grabacka.

CAROLUS HORN in
Kankas Tribunus
Militum.

ARVIDUS HORN in
Hapaniemi, Chiliarcha & dein Se-
nator Regni. Conj.
INGEBORG EDV. Fil.

HELENA HORN in
Kankas. Conjux
CLAUD. FLEMMING.

CHRISTINA HORN, L. B. in Lempelå &c.
Nat. 1604, Denator 1673, sine prole.
Conj. 1. THORSTANUS STÅL-
HANDSK. 2. JÖNS KURK, L. B. Se-
nator Regni & Präf. Dicast. Aboënsis.

HENRIC. FLEMMING,
L. B. in Lais, Tri-
bunus militum &c.
Conj. EBBA ERLAN-
DI BÅTH.

MARGARETHA FLEM-
MING. Conj. JOHAN
STÅLHANDSK, Af-
fessl. Dic. Aboëns.

§. V.

Ædibus Confistorii Ecclesiastici contigutum est Mausoleum Ståhlhandskianum, quem locum Generosissima CHRISTINA HORN die 11 Augusti 1645 Sibi Suæque Familiaæ in peculium emit, solutis 900 thaleris Imper. & clathris ferreis clausit. Ipsum Monumentum ex marmore exquisita arte & studio est constructum. Repræsentat illud quasi e triclinio geminum simulacrum dormientis, ipsius scilicet Herois cum Sua Conjuge. In superiori triclinii limbo conspicuntur instrumenta bellica, tympana ac buccinæ. Anteriorem ejus partem duo infantes ornant, quorum alter cranium mortui hominis, alter autem patinam, pomis repletam, suis gestat manibus. Horum

sum intermedium locum occupat insigne STÅHLHANDSKIANUM & HORNIANUM Lateri meridionali inscriptus est vers. 13 Apocal. XIV. Cap. Boreali v. 5. Syracid. XLI. Illa Ceenotaphii pars, quæ muro est infixæ, præterquam quod egregiis condecorata est iconibus, tabulam etiam in se complectitur, cui sequens elogium Generosissimi Generalis THORSTANI STÅHLHANDSKE est insculptum: Här ligger begrafwen Den Ådle och Wälborne, nu Salig hoos GUDH, Herr THORSTEN STÅHLHANDSK til Hummelsund, Öfwerby och Alten, Konungl. M:tz til Sverige Högtbetrodde General öfwer Swenska och Tyska Cavalleriet, samt Öfwerste öfwer Et Regemente til Häst och Fot, hwilken i den Dansk Feigden A:no 1644 den 21 Aprilis, på sit 50 ålders åhr uti Hadersleben Saligen assomnade. GUDH Honom med alla Christtrogna En Frögdefull upståndelse förlåne. Et paullo infra hæc occurrunt verba: Detta Monument hafwer Sin Ålskelige och Salige K. Man til åhra och åminnelse upprätta och förfärdiga låtit Den Ådle och Wälborne Fru CHRISTINA HORN, Boren til Hapaniemi, Fru til Hummelsund och Runogård. In Vexillo mœstiaæ, quod jam detritum est, conglutinatis partibus, superius legitur Rom. XIV: 28. inferius insigne ipsius occurrit & hæc inscriptio: Der Königl. Maj:ts zu Schweben, wie auch der Confoederirten in Teutschland bey hochstermesser Ihro Königl. Maj:ts hoch-anseenlichen und siegreichen Armée in Teutschland und Dännemarken Bestälter General ober die Cavallerie, und Obrist zu Ross und Füß, der THORSTEN STÅHLHANDSCH auf Hummelsund und Alten, ist auf diesen Welt gebohren Anno 1594 und nach sechs wochentlicher ausgestandener krankheit Endlich der 21 Aprilis An. 1644, welche der heilige Ostertag war, nach 9 uhr abends zu Hadersleben in Jutland sauft und Sehlig im Herrn entschlaffen Seynes
 Alters

Alters 50 Jahr. Dessen körper ist im dieser Kircken zu
 Ruhe bey geleget, welchem GOT'T am den Jungsten
 Tage mit allem Christen eine Fröhliche auferstehung vor-
 länden wolle. Hisce etjam verbis, sed lingva vernacula
 conscriptis, pluribusque dictis Biblicis, loculus ejus, ex
 stanno eleganter confectus, insignitur. Ad parietem cho-
 ri australem, binæ ingentes tabulæ lignæ sunt erectæ,
 eademque veste holosericæ obductæ. Priori vexillum
 triumphale D:ni ARVIDI HORN appensum est una cum
 clypeo ejus Capitali, pluribus gentilitiis insignibus ad ut-
 rumque latus exornato. Infra hæc leguntur: Kongl.
 Maj:ts Wår Allernådigste Konungs Tro-Man, Öfwerste til
 Håst och förordnad Landshöfdinge öfwer Westerbotns Län
 och Lappmarkerne, Den Högwälborne Herre, Herr
 ARVID HORN, Friherre til Åminne, Herre til Kårkis,
 Nytkälle, til Kandola och Karunna, födder på Kårkis d.
 10 Nov. An. 1631 och Sahl, assomnad på Karuna gård
 den 17 Martii An. 1692. Posterior vero cassidem &
 thoracem STÄHLHANDSKIANUM ostentat. Ex mul-
 tis aliis nobilium Virorum armis Gentilitiis, quæ heic
 obvia sunt, nominasse sufficiat insigne ARVIDI KRUCS, in
 quo hæc leguntur: Hans Kongl. Maj:ts Tro-Tjenare och
 Cornet under Adels-Fanan, Den Högwälborne Herre,
 Herr ARFVID MAGNUS KRUCS, Friherre til Knybahla,
 Herre til Ekhåf, Lundby och Hapaniemi år född på Wi-
 borgs Slott den 14 Julii An. 1658 och Saligen i Herran-
 nom assomnad på Ekhåf den 19 Januar. 1677.

S. D. G.

and so far as I can judge from the few pages of the original manuscript which I have seen, it is a very good one. It is written in a clear, legible hand, and the spelling is correct. The grammar is good, though there are some errors in punctuation. The style is simple and direct, and the language is clear and easy to understand. The author has a good command of the English language, and his writing is well worth reading. I would like to say that I am very pleased with the book, and I hope that many others will find it equally interesting and informative.